CAPUT II.
DE LEGITIMA FILIORUM & PARENTUM.
DIFFERENTIA I.
SUMMARIUM.

1. *Legitima quoad ſubſtantiam ſeu alimenta eſt Juris Naturalis hypothetici, non ſolùm in liberis, verùm etiam parentibus quoad modum verò ac determinationem Juris Civilis, ac juxta ordinationem provincialem Franconicam liberis vel uni vel pluribus debentur indiſtincte duo trientes.*
2. *De Juribus primogenituræ in quibusdam locis per ſtatutum introductæ ipſo Deo approbante.*
3. *Caſus in quibus parentes obſtricti ſunt de Jure Franconico liberis ſuis in vivis legitimam dare remiſſivè.*
4. *De legitima Parentum, quæ etiam aucta eſt per Juſtinianum, & quod de Jure Franconico poſt diviſionem parentes non habeant legitimam in bonis filiorum, ante diviſionem autem & aſſignationem legitimæ in vita habent parentes legitimam etiam in bonis caſtrenſibus, niſi conjuges hæc bona ſibi invicem reliquerint.*
5. *De emancipatione ac patriæ poteſtatis vinculo.*
6. *Ante actualem diviſionem parens ſuperſtes non poteſt Jure Franconico niſi ad cauſas pias de ſua tertia teſtari quoad perſonas extraneas, bene tamen inter liberos uni plus, quàm alteri relinquere valet ſalvâ legitimâ, nec ſumptus ſtudiorum in eam imputandi.*
7. *De Jure Franconico acquæſtus conjugum eſt communis.*
8. *Pater utroque Jure Franconico & Civili habet uſumfructum in bonis adventitiis liberorum.*

1. VOcabulum Legitimæ, quæ aliàs etiam vocatur debitum, *Novell. 18. in præfat.* item debitum bonorum ſubſidium, unde derive-

derivetur, cuilibet facilè constare potest, nimirum à lege quasi portio quædam à lege determinata, hinc legitima formaliter considerata ratione definitæ quantitatis, seu quoad determinationem est Juris Civilis positivi, & in tantum mutari potest *L. 36. §. 1. in fin. Codicis de inofficios. Testam.* quoad substantiam autem & ratione sui materialis ipsius juris succedendi, quod naturali jure debetur, mutationi non est obnoxia, nam Jura Naturæ mutari nequeunt. *L. 8. ff. de reg. Jur.* Et hæc nihil aliud est, quàm portio quædam, certis personis necessariò ex successione debita, relinquenda illis personis, quæ habent querelam inofficiosi, & quidem hanc querelam inofficiosi Testamenti seu contra officium pietatis facti, cum quædam personæ habeant absolutè prout ascendentes & descendentes, quædam verò ùt collaterales in primo gradu seu fratres & sorores secundùm quid in casum turpis personæ institutæ, hinc in primo ordine liberis legitima competit de Jure Naturæ hypothetico & quidem præceptivo *L. 7. ff. de bonis damnatorum.* Quia ex eodem debentur alimenta, in quorum locum legitima quoad substantiam succedit, sicut enim parentes viventes liberos suos alere tenentur juxta illud Glossæ

Mater alit puerum trinum trinóque minorem

Scilicet quoad solatium & lac,

Majorem verò pascere patris erit.

Ita morientes à Jure Naturæ tantum liberis relinquere coguntur, ut honestè pro sua conditione vivere possint, unde GAIL. *l. 2. obs. 122.* decidit, quod materia legitimæ & alimentorum sit Juris Naturalis, proinde prorsus tolli nequit, asserit quidem PEREZIUS *ad Tit. C. de inoffic. testamento num. fin.* legitimam Juris Naturalis non esse, quamvis debeatur propter naturalem causam, quodsi enim inquit juris esset naturalis legitima, filius licet impius & ingratus, quæ naturâ essent, non posset amittere, amittit autem, quia recte ex causis 14. in *Novel. 115.* nominatis exhæredatur, accedit his, pergit laudatus Author exemplum militis, qui per leges solutus solennibus Juris Civilis non tenetur liberis relinquere legitimam, quódque testamentum validum scribat liberis scienter præteritis, quibus non est querela *L. 9. & 24. Cod. de inoff. testamento*, quod certè Jus Civile per-

mittere non potuiſſet, ſi legitima foret Juris Naturæ, à cujus præſcripto non liberat lex humana; verum enim verò hæc tanti momenti non ſunt, ut à ſententia noſtra communi Doctorum calculo comprobatâ recedere cogant, nam exemplum militis liberos à querela inofficioſi excludentis nihil aliud probat, quàm quod dum respublica ex cauſa boni publici habet Jus & Dominium eminens in bona & fortunas Civium, ex juſtis cauſis publicæ v. g. utilitatis diſponere, & eo nomine jus quæſitum quoque, adeoque naturâ debitum aufferre poſſit, quo ſanè titulo pactis indubiè naturâ validis vis obligandi in minoribus & mulieribus fidejubentibus efficaciter adimitur, illud equidem facilè largior cum GAIL. *Dict. l. 2. obſ. 122.* ſtatutum ex rationabili causâ omninò legitimam tollere poſſe favore ſcilicet agnationis, uti in ſtatuto excludente fœminas à ſucceſſione parentum maſculis extantibus, ac deinde etiam ex juſtis cauſis ingratitudinis exhæredari poſſe, quanquam illæ fœminæ & hi exhæredati in effectu non penitus & omninò à legitima excludantur, quia filiabus in alio, quod vicem legitimæ obtinet, prout etiam exhæredatis & filiis militum, ita ut alimenta neceſſaria habeant, provident; firmo itaque ſtat fixum talo, legitimam eſſe Juris Naturalis hypothetici ſaltem, eámque in ſe ſpectatam ſtatuto tolli non poſſe, neque conſuetudine, conſuetudo enim irrationabilis nullarum eſt virium. *L 2. C. de alendis liberis*, cum veniat ex præcepto Juris Naturæ; determinari autem, augeri vel minui rectè poteſt, de qua quæſt. conſuli poteſt GAILIUS *dicto loco.* MYNSINGERUS *Cent. 5. obſerv. 3.* qui præjudicium Cameræ allegat, CARPZOV. *defin. forenſ. part. 3. Conſt. 12. §. 6.* In legitima autem aſcendentibus & transverſalibus debitâ, quos non ità ſicut liberos naturæ votum ad ſucceſſionem vocat, mitior ſum, & prælaud. PEREZII ſententiæ ſubſcribo, illámque ſaltem collateralibus debitam eſſe Juris Civilis ſtatuo, quoad aſcendentes verò recte diſſentit MYNSINGERUS *Cent. 6. obſ. 44.* de quorum alimentatione idem quod de liberis dicendum eſt, quia ſucceſſionum ab inteſtato Jure Naturali ratio eſt reciproca, quoad collaterales autem PEREZII ſententia indubiè procedit: Cum igitur certus relinquendi modus à Jure Civili præſcribi & legitima determinari poſſit, quæ jure antiquo legitima liberorum erat quadrans, id

eſt

est quarta pars eorum, quæ ab intestato liberi erant habituri, à Justiniano æqui amantissimo aucta est pro numero liberorum, &

Quatuor aut infra dant natis Jura trientem,
Semissem verò dant natis quinque vel ultra,
Arbitrium sequitur substantia cætera patris

Juxta Ordinationem Franconicam verò *p. 3. Tit. 29.* von der Kinder-Legitima, und was dieselbe seye / consistit legitima liberorum sivè sit una proles, sive decem adsint, in duabus tertiis, quod autem hâc lege civili & statuto libertas disponendi de bonis suis in patre circumscripta sit, ne id quidem sanctioni Juris Naturalis opponendum, cum potius ex ejusdem scitis obligatio Civilis descendat.

2. Hinc itaque Jurium primogenituræ primam inter homines originem repetendam arbitror, quorum tamen emolumenta non ubique & omni tempore eadem, sed multiplicatis cum genere humano hominibus, moribus gentium, statutis, consuetudinibus variè definita sunt, fundamentum verò introducendorum jurium primogenituræ, aliqui in dilectione atque præstantiâ naturali partûs primogeniti collocant, potissimùm tamen, quod primogeniti in natura prærogativæ suæ adeò insignis fundamentum habere possint ex voluntate & facultate disponentium naturaliter liberâ moribus gentium, legibus positivis deinde suffultâ petendum erit. Itter. *de feud. Imp. Cap. 12.* §. *5.* quam deinde, postquam in societates civiles consensum est, leges aut consuetudines proùt ratio societatis postulare visa, circumscripserunt, ut adeò, si quis iniqua primogenituræ jura dicere velit, frustrà ad æqualitatem liberorum provocet, sed potius quid legibus publicis, quibus unusquisque se submisit, constitutum, quid moribus, consuetudine aut statutis extra porrectionem alimentorum receptum inquiri debeat, nam ut libertas naturalis domini circa bona propria legibus civilibus ex utilitate societatis constitutis cedat, idipsum naturæ humanæ convenit, cum duo contraria simul velle aut nolle quis non possit, unusquisque autem in societate & civitate voluntatem suam boni communis causâ vinculo huic eximio adstrinxerit ipso Deo id approbante, ex eo in toto ferè terrarum orbe usurpatur jus primogenituræ, quo is, qui natu major est, tam de Jure Divino, quàm humano solus succedit, ne Regnum dividatur & communiter administretur, in qua unitate & salus & quies per unum principem magìs,

quàm

quàm per plures retinetur. *Can. 41. Cauſ. 7. q. 1. Cap. 7. & DD. ad A. B. Cap. 7. de ſucceſſione principum*: Nam ſalus præcipua Regnorum & familiarum in certa & conſtanti ratione ſuccedendi conſiſtit, quodſi autem in Regnis hæreditariis vel aliis familiis liceret patri & filiis unum eligere, vel ſi primoribus conceſſum non ordinem naſcendi, ſed regnaturi mores rimari aut populi favorem ſpectare, Turbas atque bella ſequi neceſſe eſt, poſtpoſiti enim nunquam quieſcent, nec illis factioſi deerunt. Prætexitur quidem, ut in Regnis electivis fit, nativitate mores non diſtingui, electione & judicio optimum ſumi poſſe, verùm iſta verbis ſpecioſa effectu vana ſunt, prævalente naturæ humanæ Imbecillitate, quæ affectibus paret, & gratiam vel odium magis ſequitur, quàm virtutes, & juſtitiam ſeu veritatem, quod in comitiis plerumque uſu venire videmus: Duo autem ſunt vincula, quibus ſalus magnorum Imperiorum præſertim nititur, Reverentia & Authoritas, quas ſola ſapientia atque probitas imperantibus non præſtat; plurimi enim æquales imò præſtantiores ſe illis putabunt; æquali autem ægrè paretur, ne dum inferiori; hinc etiam licet benè dixerit PLATO felicia regna eſſe, in quibus Reges philoſophantur, & Philoſophi regnant; certè tamen nudo Philoſopho, niſi alia accedant, utut ſapientiſſimo vix quisquam triduo pariturus eſſet; Externum igitur quid & viſibile eſſe oportet, quod & prudentiores & ſimpliciores pariter agnoſcant, neque vago atque vario hominum arbitrio ſubjectum ſit. Hanc ob rem in Electionibus Regum & Principum hodiedum ſapientiæ & morum ſanctitati nobilitas & potentia vix non præferuntur, licet altera alterius auxilio egeat, illa enim facit, ut ſubjecti ſponte atque libenter parere velint, hæc ut inviti cogantur; quia ergò Electio non multò plus commodi Regnis affert, & familiis, quam ſors naſcendi, imò interdum & turbis obnoxia eſt, multi populi, & in ſpecie teſtante Aureâ Bullâ Germani quoad Electorum in Imperio ſucceſſionem & filiorum electoralium ſuccedendi rationem in Electoratibus & Principatibus majoribus ſe illa ſponte abdicârunt, & jus primogenituræ rectè introductum fuit, quamvis Electio propior libertati ſit, quia eligentes eligendo leges præſcribere & conditiones imperandi per Capitulationes ſtatuere poſſunt, licet & id multoties in irritum cadat, quia contraveniens

Prin-

Princeps vel planè non vel ægerrimè in jus vocari poteſt: Ita humanarum rerum nihil eſt, ex omni parte beatum. Quàpropter boni & prudentis Civis eſt, Reipublicæ formam, quam reperit, tueri, & quomodò ſucceſſio per ſtatuta aut conſuetudines locorum regulata eſt, ſive primogenitura inducta ſit, ſive non, ſicut hactenus praxis invaluit, eandem proſequi.

DIFFERENTIA II.

3. Cum autem filius nullum jus habeat in legitima vivente adhuc Patre, & Pater de rebus ſuis juxta proprium ſuum arbitrium diſponere vendendo ac donando poſſit, neque habeat filius, quod conqueratur, cum pater ſit rei ſuæ moderator & arbiter. *L. Dudum ff. de contrahenda emptione.* Sed eo demum mortuo dicatur habere jus & legitimam quaſi ſibi debitam, de quo videatur. Carpzov. *defin. forenſ. p. 3. Conſt. 12. defin. 10.* Hinc pater non tenetur in vita ſua aſſignare legitimam, etiamſi bona dilapidaret, Bart. *ad l. 1. §. ſi puer ff. de collatione bonorum;* de jure tamen Franconico Provinciali reperiuntur multi caſus in ordinatione Provinciali *part. 3. tit. 31.* per totum ſub rubrica. In was Fällen die Eltern in Zeit ihres Lebens ihren Kindern-Dichtern oder Uhr-Dichtern den 2ten Theil zu geben ſchuldig ꝛc. Quibus parentes in vivis obſtricti ſunt, liberis ſuis legitimam dare & cum illis dividere, quos cum Clariſſimus Dominus Petrus Rodericus Demerath, Philoſophiæ & utriusque Juris Doctor *in ſuo faſciculo differentiarum juris communis & Franconici p. 2. differentia 2.* accuratè recenſuerit, actum agere ſuperſedeo, & benevolum Lectorem occurrentibus in hac materia caſibus ad eundem remitto.

DIFFERENTIA III.

4. Non minus autem Parentes in bonis liberorum, quàm liberi in bonis Parentum legitimam habent, turbato enim mortalitatis ordine Parentibus æque ac liberis ex pietate legitima eſt relinquenda; utrùm autem ad Exemplum liberorum de jure communi

legitima quoque aucta sit, inter se dissentiunt interpretes, & si quis benè respiciat textum *Novellæ 118.* illa non videtur loqui nisi de filiis, quod argui potest à rubrica, quæ loquitur de triente & semisse, ac de successione filiorum, alia enim ratio esse videtur in Parentibus quàm in liberis, & ubi non est eadem ratio ibi non est idem jus statuendum, liberi enim ex communi voto & naturali ratione absolutè id exigente bona exspectant, parentes verò non ex ordine naturæ, sed contra eum turbato mortalitatis ordine admittuntur, præsertim cum correctoria strictè sint accipienda; nihilominus tamen de jure communi pariter parentum legitimam auctam esse admitto; quod non tantùm ratio pietatis & necessitas liberorum ad alimentandum parentes, eorumque honor & reverentia suadent, verùm etiam ipsa verba finalia *dict. Novell. 118. C. 1.* expresè statuunt in verbis hoc observando in omnibus personis, quibus datur querela inofficiosi, nam legitima filiorum & parentum pari passû ambulat, & quia correlativorum eadem est ratio, id quod in uno statuitur, & in altero statutum intelligitur. Jure autem Provinciali Franconico neutrum servatur, si enim parentes liberis suis semel legitimam largiti sint, quod parentes, si velint, in vita possunt, quia quilibet favori pro se introducto renuntiare potest, *L. penult. Cod. de pactis.* Non habent reciprocè in eorum bonis legitimam. Land-Gerichts-Ordnung Hertzogthum Franckens von der Eltern-Legitimâ *tit. 36. §. 1.* hoc ipso enim, quod parentes retinuerint unam tertiam, & solùm duas tertias liberis dederint, censetur eorum legitima retentæ tertiæ parentum inesse, proindè hujusmodi parentes de sua tertia liberè disponere possunt, nec tenentur liberis de ea quidquam relinquere. Land-Gerichts-Ordnung *Tit. 39. §. 13.* Si verò liberi nondum receperint suam legitimam & tamen bona castrensia vel quasi castrensia habeant, quamvis in his de jure communi pater omninò nihil juris habeat, nec quidquam filius in hisce bonis, in quibus *L. 2. ff. ad S. C. Macedonianum.* habetur pro patrefamilias, patri relinquere cogitur. *L. fin. Cod. de inoff. Testam.* Vi tamen juris consuetudinarii habent etiam parentes in hisce bonis castrensibus vel quasi trientem pro legitima, quæ ipsis necessariò quoque sub querelâ inofficiosi relinquenda est, Land-Gerichts-Ordnung *tit. 36.*

§. 2.

§. 2. *junctо Tit. 27.* von Teſtamenten und letzten Willen §. *12. tit. 19.* §. *3. & 4.* Quod tamen limitatur in eo casû, ſi bona hæc conjuges ſibi invicem in dotem, ſeu donationem propter nuptias reliquerint, de quibus nulla competit legitima; de valore autem hujus ſtatuti minimè dubitare oportet, nam licet pacta dotalia neminem legitimâ privare poſſunt, ſemper enim pacta intelligi debent, ne alteri cuidam tertio præjudicium inferatur, nec liberi vel parentes legitimâ ſuâ defraudentur. *L. 1. & tot. Tit. Cod. de inoff. donationibus*, hoc tamen ſolùm intelligendum eſt, ſi ſtatutum aliquod ſit generale, hoc enim ad legitimam portionem porrigi non debet; Aliud dicendum, ſi ſtatutum ſpeciale loco legitimæ certam portionem parentibus deferat, quod procul dubio valebit, quàmvis legitima parentum ſit diminuta, nam in totum quidem legitima tolli non poteſt, quod æquè de parentum ac liberorum legitimâ ſtatuendum eſſe ſupra dixi, quia legitima parentum pari paſſu ambulat cum legitima liberorum, quantitas tamen ejus, utpote inventum meri juris poſitivi per jus quoque poſitivum corrigi, minui & emendari poteſt, & hinc etiam aliqua bona nexu legitimæ affici aut eximi valent. CARPZ. *defin. forenſ. part. 3tia Conſt. 12. definit. 3. 4. & 5.*

DIFFERENTIA IV.

5. Nunc videndum, quid jure antiquo & novo communi & Franconico circa emancipationem & patriam poteſtatem conſtitutum ſit, & quidem olim Jure Romano, quando parentes vel ob benè merita vel ob aliam juſtam cauſam liberos ſuos è poteſtate patriâ dimittere volebant, debebant eos per imaginariam venditionem manumittere, poſtea verò hoc mutatum fuit, & ſufficiebat per Reſcriptum Principis filios dimittere & eos ſui juris facere §. *6. Inſtit. quibus mod. patr. poteſt. ſolv. l. 5. C. de emancip.* per nuptias autem non diſſolvebatur patria poteſtas *L. 1. in fin. ff. de liberis exhibendis*, bene tamen per dignitatem, quæ liberabat à curia, etiam contingebat liberatio à patria poteſtate *Nov. 81.* Hæc verò emancipatio ex recepta hodiè Germaniæ & cum ea Franconiæ conſuetudine non ità ſervatur; Liberi enim, qui ſeparatim habitant, vel ſemotam ha-

bent familiam, aut ſeparati ſunt per matrimonium à mensâ, vel per diviſionem & ſeparationem bonorum legitimam ſuam receperunt, omnes pro emancipatis & dimiſſis è patria poteſtate habentur. Nach eingeführter Gewohnheit Teutſcher Nation werden die Kinder durch die Abtheilung und Separation aus dem vätterlichen Gewalt geſetzt und vor emancipirt gehalten. SCHNEIDEW. *ad Tit. Inſtit. quibus modis patria poteſt. ſolvitur*, & hinc quia nullius juri ſubjecti ſunt, de bonis ſuis liberè poſſunt diſponere, licet autem gloſſa in §. *1. Inſt. de patr. poteſt.* dicat, quod Galli & Francigenæ planè non habeant filios in poteſtate, proùt idem etiam dicit Alexander de Britonibus & Gallis in Apoſtillis ad Bartol. *in leg. qui in poteſtate ff. de Teſtamentis*, hoc tamen per conſuetudinem & ſtatuta Franconiæ ſecus eſt, quia ex quo diviſio & ſeparatio ſunt modi liberandi filios familias à patria poteſtate, eos præſupponit eſſe in patria poteſtate: cùm privatio præſupponat habitum. *L. decem ff. de verbor. obligationibus. Vid.* Land-Gerichts-Ordn. *tit. 29. §. 13.* Unde lubet paucis inquirere, an, quæ & quanta hodiedum ſit patria poteſtas, déque modis diſſolvendæ ejusmodi poteſtatis, ubi operæ pretium fuerit præmittere, quæ aliquando in ſimili quæſtione reſpondit Clariſs. Vir JACOBUS SANTVOERT J. U. D. & ſacrorum Canonum Profeſſor in hæc verba, videntur univerſum hoc patriæ poteſtatis jus mores noſtri eò reduxiſſe (ſi tamen aliquando hic fuerit invectum, quod fortaſſis cum Alciato non abſurdè negari poſſet) ut ejus quaſi imagine retentâ nullus uſus aut utilitas eo nomine ad patrem redundet exemplo ejus, quod in ejusdem juris ſeu poteſtatis ſpecie Jure Civili conſtitutum refertur, filio bona caſtrenſia habente inteſtato mortuo, patrem ea non ſucceſſionis vel hæreditatis jure capere, ſed tanquam peculium retinere. *L. 2. Cod. de caſtrenſ. pecul.* ubi tamen, ſive hoc, ſive illo modo ea pater accipiat, vix referat, voluerunt JCti, uti alibi notat Cujac. ſenſim aliquid decerpere patribus ex ejus poteſtatis jure, & ut idipſum minus feciſſe viderentur, ſpeciem ejus & imaginem relinquere, & ſicut in beneficio abſtentionis ab hæreditate paternâ, quod ſuis Romano Jure indulgetur, illud commentum à juris conditoribus eſt inventum, ut filius fictione quâdam hæres dicatur, in effectu tamen exhæres maneat: Ita

quoti-

quotidie in judiciis & foro de patria poteſtate multa clamari audies, rem autem & effectum ejus nullum, quod ad ipſos patres attinet, perſentisces. Gallicæ nationis Auctores plerique ſecuti Accurſium in §. *Jus autem 2do Inſtit. de patria poteſtate* ſcripſêre, jus patriæ poteſtatis ſecundùm Romanas ſanctiones in filios iſti genti non eſſe, filiósque quodcunque quærunt, ſibi quærere. Costal. *in l. 3. ff. de his qui ſui vel alieni juris ſunt*, & qui apud Gallos huic juri locum adhuc eſſe exiſtimant, jam pridem illud deſuetudine & moribus vel abolitum vel valdè minutum volunt Greg. Tolos. *in ſyntagmate juris univerſi lib. 2do.* à Belgis, qui ut in hâc materia loquitur Dn. Wames. *Cent. 3. Conſ. 50. in fine* plerumque ùt ſimiæ mores Gallorum ſequuntur, non eſſe quoque receptum vinculum patriæ poteſtatis juxta communis juris formam auth. Belgici plerique annotârunt: ſic Elbertus Leonius *emendat. Lib 5. C. 3.* docet patriam poteſtatem uti apud Gallos ita & apud Belgas eſſe ſublatam. Verùm quæcunque ſit aliorum de patria poteſtate opinio, illud tamen ſatis conſtat, patriam poteſtatem Civilem, qualis fuit illa Romanorum, hodiedùm neque hic neque alibi reperiri, ſed naturalem tantùm obſervantiam reverentiámque patri & matri ex æquo debitam manentibus liberis in reliquis ſuæ poteſtatis, ſuíque juris, *l. 1. ff. de obſeq. parent. & patri præſtand. l. 4. de curat. furioſ. dando & l. 2. cod. de in jus vocand.* quæque de effectu & vi illius poteſtatis tradi & trahi ex Jure Civili ſolent ad mores noſtros, referri debere ad hanc naturalem obſervantiam, cujus veſtigia quædam extant in authoritatibus, quas præſtant patres ad actus filiorum legitimos veluti in cauſis controverſiísque judicialibus, vel in acquiſitionibus rerum, ubi parentum verſatur incommodum; cœterùm autem verum manet, filiosfamilias hodiè quærere non patri ſed ſibi, obligari eos patri, ſibíque obligare patrem efficaciter, neque enim ut res omnes liberorum acquirantur eorum parentibus id naturale eſt, ſed ex populi legibus, quæ hâc in re patrem quoque à matre diſtinguunt. Júsque quod matri competit in liberos, ſoluto præſertim matrimonio demonſtrant, unicè apparet; undè etiam ob ſexûs præſtantiam dignius habetur imperium patris, qui cùm & naturâ ac Jure Gentium ſit familiæ caput, ſalvo Eccleſiaſticæ & Politicæ poteſtatis, cui

Christianus atque civis subjicitur, Imperio meritò dominatum aliquem potestatémque exercet in omnes familiæ partes, ita tamen ut hoc jus competens parentibus, hodie nihil ferè aliud importet quàm custodiam, tutelam & curam quandam liberorum, cum modica coërcitione justâ, quatenus scilicet cogendi sunt ad officium liberi vel emendandi, item jus administrandi liberorum bona *L. 1. Cod. de bonis maternis & ibi doct.* Faber, Bart. Baldus *& alii*, durétque non nisi ad annum vigesimum quintum usque, adeò quidem ut communi Franciæ consuetudine receptum sit, filios 25. annis majores etiam adhuc cœlibes haberi pro emancipatis, quorsùm spectant & alii modi, quibus hæc potestas solvi dicitur, veluti per habitationem separatam à paterna, item per Contractum matrimonii; transit enim hoc modo filia in potestatem sui mariti, filius autem emancipato similis habetur, idque vi Sacramenti, quia causa matrimonii est spiritualis, quæ totum hominem vendicat & possidet, Pyrrhus ad Consult. Aurelianenses *Tit. quibus modis patria &c in fine.* Sicut etiam in juramento utpote Juris Divini & vinculo animæ idem observatur, quia Jure Divino patria potestas, quæ est Juris Civilis, non consideratur *Textus in Cap. fin. §. de Judiciis in 6to.* Ubi in spiritualibus patriæ potestatis nulla habetur ratio, & hinc etiam est, quod matrimonium de Jure Canonico absque parentum consensû contractum sit validum. Gail. *l. 2. obs. 38. nro 11. & observ. 95. nro 4to.*

DIFFERENTIA V.

6. Hactenus dictum fuit, quod jure etiam naturali hypothetico legitima quatenus surrogatur in locum alimentorum debita sit liberis, nec non de effectibus patriæ potestatis, sequitur nunc, quod si pater filio hanc legitimam liberè & absque ullo onere relinquat, reliqua bona omnia etiam extraneis quibuscunque relinquere possit de jure communi Romano, nec filius conqueri valeat de patre, qui ei debitam portionem reliquit; de jure tamen consuetudinario Franconiæ non possunt parentes legitimi (adinstar adoptivorum & arrogatorum tales dicti, nam unio prolium succesſit in locum adoptionum

ptionum in Germania) de ſua tertia vel communibus bonis ante actualem ſeparationem bonorum per Teſtamentum aut aliam quamcunque voluntatem diſponere nequidem inter liberos Land- & Gerichts-Ordnung *Tit. 39. §. 15.* Quàmvis eodem jure ſtatutario aliter ſe res habeat in parentibus naturalibus & legitimis ſimul, quibus in indiviſis & communibus bonis etiam absque onere diviſionis vel ſeparationis bonorum conceſſum eſt, ut uni liberorum plus alii verò minùs ſalva tamen ſemper legitimâ tribuere valeant, parentibus enim ſuam tertiam etiam bonis ſuis adhuc indiviſis inter liberos pro libitu relinquere permiſſum, ità quidem, ut etiam in legitimam imputentur dos profectitia & donatio propter nuptias ad ſimilitudinem hujus dotis, ut æqualitas ſervetur. *L. 29. Cod. de inoff. teſt.* Itémque jocalia, veſtes, omniáque filiæ data nomine Matrimonii, dummodo veſtes ſint pretioſæ & ad uſum quotidianum non neceſſariæ, aliáque quæ pater alias veroſimiliter non fuiſſet daturus; non tamen hanc imputationem in legitimam patiuntur bona caſtrenſia vel quaſi, prout & ſumptus à parente ſtudiorum causâ in filium erogati *L. 50. ff. famil. erciſcund.* quia alimentis annumerantur, interim hoc ita intelligendum eſt, modo parens hosce ſumptus animo credendi non ſuppeditaverit, quod tamen in dubio non præſumitur, ſed probandum eſt, quæ probatio ex eo non patet, ſi pater illos libro rationum ſeu Calendario inſcripſerit, ſeu inter expenſas communes retulerit, quia diligentes quandoque Patresfamilias etiam ſumptus minutiſſimos in libros rationum accuratè referunt, ſaltem ut ſingulis annis acceptorum & expenſarum exactam rationem inire queant. Wesenb *in parat. ff. de uſucap. nro 11.* Sed ſi pater in libro debitorum aſſignaverit, ſeu in librum particularem ad hunc finem confectum, ut de expenſis pro filio conſtare poſſit. Carpz. *defin. forens. p. 3. Conſt. 11. defin. 20.* Modo tamen non nimium excedant hi ſumptus, ut liberi reliqui non habeant legitimam ſalvam, cum enim ut ſupra dixi legitima liberis debeatur Jure Naturæ, hujusque ratione filius dicatur Creditor, hoc debito naturali non eſt defraudandus, & ſanè Reipublicæ quàm maximè intereſt, ut impenſæ in ſtudia non imputentur in legitimam, quia alias vix invenirentur, qui ſtudiis, unde commodum inæſtimabile redditur, &

ſæpenumero aliis liberis mirificè ex naturali inclinatione aſſiſtitur, invigilarent: extraneis autem ante actualem diviſionem bonorum ultimus ſuperſtes ex parentibus nihil poteſt prælegare, quia juxta ſtatutum Provinciale Francon. *tit. 39. §. 17.* liberis eſt jus quæſitum, cui inferior, pater ſcilicet derogare, & in præjudicium liberorum de communibus bonis diſponere nequit, quæ prohibitio per legem ſive ſtatutum facta afficit rem per conſequens impedit Dominii translationem & juris acquiſitionem. Ratio verò hujus ſtatuti eſt, ut communibus liberis communis hæreditas ſalva maneat, nomine extraneorum autem in hâc diſpoſitione ſtatutariâ non veniunt, ſed expreſsè *dict. tit.* exceptæ ſunt perſonæ benefactorum, indigentium amicorum & patronorum, vel aliarum piarum & in jure multùm favorabilium cauſarum, quibus parentes ſuam tertiam etiam ante diviſionem relinquere poſſunt, prout etiam non prohibentur de hac ſua tertiâ diſponere pro libitu, ſi diviſio vel ſeparatio bonorum propter morbum & ægritudinem commodè fieri nequeat. *Dict. tit. §. 18. 19. & 20.*

DIFFERENTIA VI.

7. Nunc de acquæſtu conjugum tractandum eſt, ſeu de juribus conjugatorum, & quæ ad ipſos pertineant, ac de eorum communione, Matrimonii autem privilegia multa ſunt, quæ videri poſſunt in Chaſſanei conſuetudinibus Burgundicis rubricâ 4tâ, de juribus conjugatorum; nam jus commune attribuit ſoli marito acquiſita conſtante matrimonio, licet autem quis opinari poſſet, inter conjuges tacitè quodammodo contrahi ſocietatem negotiationis, ubi damna & lucra communicari æquiſſimum eſſet, teſte GAIL. *lib. 2. obſ. 90. nro. 5.* attamen in jure communi nullibi cautum, quod acqueſtus inter conjuges ſit communis, imò contrarium in eo deciſum reperitur, quod nimirum ea, quæ ab uxore acquiſita ſunt, ex bonis potius viri, ad evitandam turpis quæſtûs ſuſpicionem quæſita præſumantur, ideoque ad maritum pertineant *l. 21. ff. de donat. inter virum & uxorem, ubi DDres communiter*, cum enim ſoli marito onera matrimonii incumbant, ſcilicet alimentatio uxoris, liberorum, totiúsque familiæ

miliæ *l. 22. §. 8. ff. ſolut. matrim.* dotatio filiarum *l. fin. C. de dotis promiſſ.* & ſi quæ alia ſunt, quæ ſumptuum erogationem requirunt, cur ergò non etiam & ipſi ſoli commoda tanquam præcipua eſſent relinquenda *l. 10. ff. de Regulis Juris. Cap. qui ſentit 55. eodem tit. in 6to* nec concedendum in conjugibus ſocietatem negotiationis contrahi, ſed ſi quæ inter eos eſt, erit ſolius habitationis ſocietas non etiam bonorum acquiſitorum conſtante Matrimonio, quæ ad ſolum Maritum, tanquam Principem & caput familiæ ſunt referenda, ne contraria ſententia inter conjuges ſeparationem inducat, & ex una duas familias faciat, vel quod eſt longè abſurdius, quæ vir geſſit & adminiſtravit, rationibus uxoris inferantur; ſecus eſt de Jure Provinciali Franconico, cui etiam accedit, Bavaricum, hoc enim jus inter conjuges æqualiter acquiſita dividit, ita ut quilibet medietatem tam quoad Dominium ac poſſeſſionem lucretur, ac liberè de hac dimidia acquæſtus cum ſuis bonis, quæ in matrimonium intulit, non extantibus liberis, per quorum exiſtentiam aliàs induceretur communio bonorum, teſtari & diſponere valeat. Land Gerichts-Ordnung *tit. 39. §. 23.* Sunt ergò hoc jure ſtatutario vir & uxor ſocii & communes in acquæſtibus conſtante matrimonio factis, ac talis ſocietas acquæſtuum, quæ eſt inter virum & uxorem, non eſt minus privilegiata, quam expreſſa ſocietas, quæ eſt inter alios: quid autem veniat nomine acquæſtûs & acquiſitorum, ſciendum, quod omnia ea pro talibus habeantur, quæ acquiruntur ex opera, ſolertiâ vel induſtriâ per alterum conjugum conſtante matrimonio, ut ſatis notatur *ex L quæſtus ff. pro ſocio*, & verbum acquirere idem eſt quod lucrari, hinc ſi quis acquirat illud, quod erat ſibi ex ſucceſſione venturum, non cenſetur acquæſtus, ideóque alter conjugum ex eo non habebit dimidium, ſicut etiam ſi alter conjugum vendat hæreditatem, quam habebat, & hâc pecuniâ deinde emat immobilia, acqueſtus non eſt, licet enim hoc ita videri poſſet *ex lege coiri ff. pro ſocio*, contrarium tamen verius eſt; nam res, quæ ſurrogatur in locum alterius, eſt ejusdem effectus, cujus erat illa, in cujus locum eſt ſurrogata, prout etiam pretium rei hæreditariæ reputari debet hæreditarium, multò magis ergò, quæ per conſolidationem accedunt uxori, pro acquæſtu habenda non ſunt: licet autem medietatem ac-

quæſtuum lucretur uxor, non tamen in feudo, ſi forte ex conſuetudine uxor habere debeat aliquam partem ex bonis mariti, puta tertiam vel quartam, idem ſibi locum vindicat, niſi ſicut in plerisque locis contingit, feuda ſint reducta ad inſtar patrimonialium, & ideo ſicut uxor habet partem in allodialibus acquiſitis per maritum, ità etiam in feudis, & quia in favorem mulierum hæc ordinatio introducta, poſſunt illæ utique renunciare huic lucro provenienti ex acquiſitione factâ per maritum, quin incidat in prohibitionem Antonini prohibitæ donationis inter virum & uxorem, neque etiam hoc ſtatutum obtinet in uxore, quæ fide conjugii violatâ commiſit adulterium, quia non debet habere hanc medietatem bonorum acquiſitorum, nec valeret conſuetudo in contrarium, prout eſt textus ad litteram *in Cap. ex parte ✠ de conſuetudine*, ſed quia hoc ſtatutum dicit, quod mulier habeat dimidiam partem in acquæſtibus, ex eo tamen non ſequitur, quod ſi maritus fuerit condemnatus ex delicto ad certam ſummam, poſt ejus mortem teneatur ejus vidua & relicta ſolvere mediam partem condemnationis, quia certum eſt, mulierem ad id pro delictis mariti non teneri, facit Textus *in l. cum duobus §. damnum in fine ff. pro ſocio*; licet autem conſtante matrimonio maritus poſſit diſponere & ordinare ſeu adminiſtrare pro libitu inter vivos, non poteſt tamen in fraudem ſive diminutionem hujus dimidiæ partis acquiſitorum, vel in contrarium hujus ſtatuti ſive moris quidquam per Teſtamentum aut aliam quamvis ultimam voluntatem diſponere vel ſtatuere; lucrum enim quod publico legis beneficio confertur, privatus homo aufferre nequit, quia ſimpliciter hæc poteſtas diminuendi vel aufferendi eſt adempta, ergò nec legato aut fideicommiſſo hæc ſtatuti portio gravari poterit, ſiquidem portio illa ut antè memini, non ex proviſione hominis, ſed beneficio legis debetur, quod autem ex lege datum eſt lucrum, nemo aufferre valet *Nov. 22. Cap. 33. in fine.* Ernest. Cothman. *vol. 1. Conſ. 114.* ubi plures hujus concluſionis rationes affert. And. Gail. *lib. 2. obſ. 86. n. 17.* ratio autem, cur inter vivos licentiam habeat maritus de bonis acquiſitis quocunque modo diſponendi, morienti autem hujusmodi licentia adempta ſit, eſt ſequens, quia ultima voluntas capit robur & vires à morte diſponentis, poſt cujus mortem dominium

minium ad mulierem eſt reverſum, ſi verò res inter vivos alienata ſit, adhuc ſupereſt ſpes, quod maritus aliquid ſuper lucrabitur & acquiret, in quo mulieri aliquid participabitur, ſed poſt mortem nulla manet ſpes, quare non mirum, ſi ità ſtatutum fuerit per textum in *L. cuva §. deficientium ff. de muneribus & honoribus*, *leg. ſi defunctus C. arbitrium tutelæ.* Quorsùm facit illud: ſperandum eſt vivis, non eſt ſpes ulla ſepultis: mulier enim eſt particeps acquæſtuum poſt mortem mariti, quia tunc illa ſocietas ſumit tantùm robur & vires, cum ipſe maritus in vita poſſit pro libitu de omnibus his diſponere & in effectu mulierem privare, quia cum de jure omnia acquiſita deberent eſſe mariti, eò quòd in hoc contra jus commune gravabatur maritus, facta fuit conſuetudo, quod talia acquiſita, poſſet quidem in vita alienare, non tamen per ultimam voluntatem.

DIFFERENTIA VII.

8. Olim per actionem ex ſtipulatu maritus dotem ſibi promiſſam tradi petebat, uxor verò eandem repetebat à marito per rei uxoriæ actionem, ſed ſublatâ rei uxoriæ actione, voluit JUSTINIANUS ſolam actionem ex ſtipulatu de dote competere; tam marito ad petendam dotem, quàm mulieri ad repetendam, eámque dotem quatuor potiſſimum Privilegiis inſignivit & quidem *primò* volùit eam eſſe bonæ fidei in caſu dotis, & quia in multis rebus plenior firmiórque eſſet hæc actio ex ſtipulatu, placuit JUSTINIANO eam ad dotis repetitionem mulieri dari, *L. unica in princ. C. de rei uxoriæ actione.* Translatis in hanc actionem iis, quæ in rei uxoriæ actione erant, *2dò* ſtatuit idem JUSTINIANUS, ut tametſi nulla de reſtituenda dote appareat interpoſita ſtipulatio, nihilominus interveniſſe credatur, *3tiò* ut dotibus pleniùs ſubveniret Imperator, privilegiatam in reſtituenda dote hypothecam conſtituit, ac licet *4tò.* olim liceret marito facto divortio dotem aut partem dotis quaſi jure pignoris retinere propter malos mores uxoris vel propter res ab ea amotas, vel propter impenſas factas in res dotales, JUSTINIANUS tamen præcepit ceſſare retentionem dotis tanquam duram uxori, quæ à repetitione dotis repellebatur, donec ſolviſſet, cum ſemper & ubique dotis

cauſa ſit præcipua *l. 1. ff. ſolut. matrim.* nec ita utilis ſit marito retentio, cui alia actio vel petitio ſalva eſt, unde ſi pactum nullum inter conjuges de lucranda dote vel donatione propter nuptias intervenerit, tunc de jure communi nec maritus dotem, nec uxor donationem propter nuptias ſoluto matrimonio lucratur, & dos redit ad uxorem vel patrem dotantem *l. 4. C. ſolut. Matrim.* & donatio propter nuptias ad maritum vel ejus hæredes; ſoluto enim matrimonio dos eſt ſinè cauſa apud maritum, & apud uxorem donatio propter nuptias, ideoque reſtituenda. De Jure Franconico, ſi conjuges nullos ſuſceperint vel ſibi univerint liberos, & nihil pacti ſint circa ſua bona, tunc præter medietatem bonorum acquiſitorum unicuique illata ſua bona libera & illæſa ſolo uſufructu communicato manent, Land-Gerichts-Ordnung *tit. 39. §. 23. tit. 96. §. 3. tit. 97.* §. 3. Si verò ſuſceperint liberos, vel ſibi univerint, tunc eorum bona utrinque fiunt communia, & ſic inducitur inter conjuges communio bonorum, quæ favorabilis eſt, & ſolet parere concordiam animorum, ita ut etiam ſuperſtes conjux quamdiu in viduitate manet, etſi ad diviſionem bonorum ex cauſis ſupra recenſitis cogi nequeat, liberè iis uti & frui poſſit, ſitque Dominus omnium bonorum, neque teneatur conficere Inventarium, neque liberis Tutores conſtituere, aut rationem reddere ſuæ adminiſtrationis, vel cum iis dividere, licet etiam bona à præmortuo conjuge provenerint, quin & ſuperſtes legitimam habet in his bonis, quam nullus liberorum ipſi aufferre poteſt. Land-Gerichts-Ordnung Hertzogthum Francken *tit. 39. §. 25. & tit. 90. §. 1. tit. 96. §. 5.* Nam uxor & maritus, poſt inductam exiſtentibus liberis communionem bonorum omnia bona promiſcuè & æqualiter poſſident, ſocietásque vitæ & corporis uxorem rerum mariti & maritum rerum uxoris dominum facit.

DIFFERENTIA VIII.

9. Certum eſt & expediti juris, à patre qui filii conſtituti in poteſtate adventitia bona adminiſtravit, redditionem rationum exigi non poſſe; nam cum eorum bonorum uſusfructus patri competat *L. cum oportet 6. in princ. Cod. de bonis, quæ liberis*, patet ſanè, quod in iis tanquam

tanquam re propriâ jure optimo versetur, ità ut nemini rationem administrationis reddere teneatur. *dict. l. 6. §. non autem 2. & Bart. in princip. Cod. de bonis, quæ liberis.* Jam verò quamvis olim jure antiquo pater peculii adventitii plenum Dominium, proprietatem scilicet & usumfructum consequeretur, ità ut pater illud alii filio vel etiam extraneo donare posset, quidquid enim filius adquirebat exceptis bonis castrensibus vel quasi, totum id, & omne patri adquirebatur in §. *igitur Instit. per quas personas cuique adquiratur. leg. 11. ff. de liberis & posthumis*, inhumanum tamen videbatur hodie illud, quod filius ex suis laboribus vel prosperâ fortunâ consecutus esset, alteri non laboranti nec adquirenti concedi, pepercit igitur Imperator in hoc liberis, interim patribus debitum honorem reservando, & sanxit, ut jure novo proprietas peculii adventitii ad filium pertineat, solus verò ususfructus patri adquiratur, *l. cum oportet 6. in princ. C. de bonis, quæ liberis l. 1. & 2. Cod. de bonis maternis.* Pro Emancipationis præmio consequebatur in iis bonis, quæ adquisitionem effugiebant, id est adventitiis tertiam partem, tam quoad proprietatem quam usumfructum; Hoc autem itidem Imperatori inconsultum visum fuit, ut quod scilicet unâ manû datum sit, hoc per alteram auferatur, consuluit ergò, ut pro liberaliter concessâ emancipatione haberet pater dimidiam partem ususfructûs, ne liberi nimium defraudarentur, & in aliquo tamen erga patrem grati sint §. *2. Instit. per quas personas adquiratur d. l. cum oportet Cod. de bonis quæ liberis. l. 1. & 2. Cod. de bonis maternis.* Jure verò Provinciali Franconico patri & matri conceditur ususfructus in bonis adventitiis filiorum sed solùm ad tempus emancipationis, quo scilicet liberi vel per matrimonium, vel per receptionem legitimæ aut alio modo separati sunt à mensa paterna. Land-Gerichts-Ordnung Hertzogth. Francken *tit. 39. §. 9. & 10. tit. 118. §. 5. & 6.* Quo tempore non solùm omnia bona adventitia restituere, sed & liberos suos instituere & dotare coguntur. *Dict. tit. §. 11.* mirum etiam proinde est, quomodo Carpz. in mentem venire potuerit *in part. 2. conf. 10. defin. 5. nro 6.* dicere, quod Jure Civili in bonis maternis indistinctè pater usumfructum retineat, donec vivat, sive liberi matrimonium contraxerint, & se à suis patribus separaverint, sive non; provocat quidem *ad l. 1. Cod. de bonis maternis,*

nis, in qua patribus utendi facultas in diem vitæ conceditur, verùm hæc verba in diem vitæ præsupponunt continuationem patriæ potestatis, hæc quippe patria potestas est causa ususfructûs, qui patri in rebus adventitiis liberorum competit, sublatâ autem causâ tollitur quoque effectus, neque aliud CONSTANT. *in dict. leg. 1.* sensit, excerpsit enim hanc legem Tribonianus ex Constitutione Constant. quæ integra *in Leg. 1. Cod.* THEODOSIANI de bonis maternis extat, sed omisit quædam & maximè illa verba, quodsi pater suum filium patremfamilias videre desiderans eum emancipaverit, repræsentare & maternam debebit substantiam. At quamvis omiserit, noluit tamen propterea patrem emancipantem à restitutione peculii adventitii liberare, quin potius eandem novâ etiam lege sanxit, videatur §. *2. Instit. per quas personas cuique acquir.* & *L. 6. §. 3. Cod. de bonis, quæ liberis.* Igitur pater tam de jure communi, quam Franconico liberis sui juris factis bona adventitia restituere tenetur. Pater autem hoc peculium adventitium nisi ex gravibus causis alienare nequit, non obstante quod ùt in aliis capitibus, ita quoque in alienatione bonorum advenditorum amplior sit potestas patris quàm tutoris, & pater non habeat opus causæ cognitione nec decreto judicis, quæ tamen Tutor adhibere debet: Causas autem, extra quas alienatio omnis strictè interdicitur, videre licet *in L. 8. §. 4.* & *5. Cod. de bonis, quæ liberis;* Inter eas potissima est æs alienum, non omne tamen, ut vulgò creditur, sed illud saltem, quod ab eo, cujus bona illa olim fuerunt, profectum est, *L. 8. §. 4. Cod. de bonis, quæ liberis;* Ex quo sequitur, quod æs alienum ipsius patris non sufficiat, nam si hoc sufficeret, posset pater prohibitionem legis semper eludere, & conflato pro libitu ære alieno necessariam alienandi causam quandocunque facere. *Vid. l. 5. §. 16. ff. de agnos.* & *alendis liberis*, ubi filio necessitas solvendi æs alienum patris remittitur; majus verò dubium esset, utrum carceris pœna, quam pater ex delicto aliàs subire deberet, non sit justa alienandi peculii adventitii Causa: certè in *Novell. 115. Cap. 3. §. 8.* filii officium esse dicitur, inclusos parentes suos fidejussione suâ liberare; Videtur ergo magis ad officium filii pertinere, inclusionem illam solutione debiti prævenire. Accedit argumentum ab alimentis ad libertatem tanquam à minore ad majus; scilicet ut ala-

tur

tur pater, bona liberorum, si aliud subsidium non adsit, vendi permittunt Jurisconsulti *Arg. l. 8. §. 5. Cod. de bonis, quæ liberis*, ergò eadem venditio ad Carcerem avertendum necesse est, sed neque hæc ratio sufficiens est, ut alienatio ex hac causâ approbari debeat, nam delicta patris filio nocere non debent, & quod in *dict. Nov. 115. Cap. 3. §. 8.* de exhæredatione filii patrem carcere non liberantis dicitur, hoc eo extendendum non est, ut liberos propterea bonis propriis exspoliari & ad egestatem redigi oporteat, nec argumentum ab alimentis ad libertatem securè ducitur, negatur enim pluris esse libertatem, quàm sustentationem alimentorum, per quæ vita conservatur, nam alimentorum maximus est favor hinc *in princip. l. 8. §. 5. Cod. de bonis quæ liberis* etiam alimentorum fit mentio, & juxta BRUNNEMANNUM *ad dict. L. 8. nro 19.* aliosque alimentatio inter legitimas alienandi peculii adventitii causas refertur, quod tamen de pura necessitate alendi, quæ sola, ad alienandum sufficit, neutiquam de meliori sustentatione dicendum est, nam patri propterea ut lautius commodiúsque vivat, liberorum suorum bona alienare non licet, neque etiam alienatio peculii adventitii facta à patre ex eo solo, quod judicialiter confirmata sit, sustinetur, quia interpositio authoritatis judicialis beneficia restitutionis in integrum ac cœtera, quæ leges indulgent, non excludit *l. 11. Cod. de prædiis minorum.* Causam tamen alienationis refectionem suarum ædium incendio dirutarum legitimam esse censeo, quia habitatio sub alimentis, propter quæ bona liberorum vendi posse dixi, comprehenditur. *Arg. l. 14. de verbor. signif. & L. 21. de alimentis & cibariis*, quamvis autem MYNSING. *Cent. 6. obs. 61. nro* 4. asserat receptam esse in Camera sententiam, quod alienatio prædii adventitii à patre ex legitimis causis facta non valeat nisi interposito magistratus Decreto, ibique tantùm excipiat causam æris alieni, nos tamen quia leges hanc necessitatem non imponunt, ipsum eà onerare non debemus, proin alienatio solvendorum legatorum vel præstandorum alimentorum causâ facta ob omissionem Decreti Judicis non erit nulla. LEYSERUS *Medit. ad pand. specimin. 565. de alienat. peculii adventitii.*

CA-